



JOVA JUVVA!



Um omnes quidem virtutes homini veram tribuant nobilitatem, eumque pulchrius ac purpura vel diadema regiū exornēt; inter illas tamē præcipuē Gratitude coruscat, de quā optimus dicendi Magister Tullius ita disserit: Judices, inquit, cū omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quā me & gratum esse & videri; hæc est enim una Virtus non solū maxima, sed etiam mater Virtutum omnium reliquarum. Quid est Pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives? qui belli, qui domi de patriā bene merentes, nisi qui Patriæ beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionem colentes, nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam iustis honoribus & memori mente persolvunt? Imò in ea Gratitude sic commendat, ut ipsam homini velit propriam; Nil, inquit, tantū proprium hominis existimo, quā non modò beneficio, sed etiam benevolentia significatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quā committere, ut beneficio, non dicam indignus, sed victus esse videāre. Nec ipsi gentiles rectæ rationis ductu Gratitude tantum urserunt studium, sed ipse DEUS, in quo tum adversis, tum secundis & ad voluntatem fluentibus rebus spem omnem auxilii præsidiiqve locatam oportet, non sine naturā ipsā omnes ac singulos generali quasi lege quadam constringens, ubiq; pro beneficiorum suorum collatione debitam animi gratitudinem exigit. Ut alia taceamus exempla, Ægyptiacam modò liberationem nobis in mentem revocemus. Cū enim Israēlitas variis afflictionibus, nimirum agellorum curā, luti ac lateris ἔργων laboribus ac omni servitutis genere pressos altā manu liberasset, eosque ex Ægypto seu tornace ferreā, ut Scriptura amat loqui, eduxisset, hujus rei memoriam ad omnem posteritatem translata cupivit,

A 3

usque